fumus, & Deum, cui famulamur? Quinam gravior abusus est, quam tempus propitiationis in iræ, atque indignationis tempus convertere? Nonne hoc est sibi claudere fontes misericordiarum Dei, his diebus, quibus aperti sunt, & hoc tempore, quo Ecclesia tot fundit vota, tot offert preces, & efficit, ut undequaque personet verbum Dei? Nonne hoc est se indignum probare, qui particeps fiat omnium gratiarum, quas illa pro filiis suis promeretur, nihil per nosmet conferre ad eas adipiscendas? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eleemosyna ad Jejuniũ sanctificandum necessaria.

Addenda etiam est orationi eleemosyna, & hoc ex Sanctorum Patrum sententia illud est, quod secernit pœnitentis Jejunium ab avarorum abstinentia. Nam, ut Sanctus Cyprianus inquit, non est jejunandum per spiritum parsimoniæ, vel œconomiæ, sed ad alendum Dei ipsius Filium in pauperum persona; ita ut, Sanctus Chrysologus addit, alius vivat ex fructu abstinentiæ tuæ; tu vero duplex referas meritum, alterum quidem Jejunii, alterum vero caritatis. *Quod ventri subtrahit, tribue esurienti.* Et hoc mea quidem sententia saluberrimum consilium est tribuendum omnibus, qui a Jejunio dispensantur propter aliquod incommodum, aliamve quamlibet rationem, supplendi per eleemosynam, ejusque meritum redimendi per insignem aliquam erga pauperes liberalitatem, & per hanc rationem lucrandi, quod per aliam amittunt. *Idem.*

Semet a pravis habitibus emendare, optima ratio est Jejuniũ sanctificandi.

Postrema, atque excellentissima sanctificandi quadragesimale Jejunium ratio est tunc temporis generatim sanctiorem vitæ rationem sequi, abstinere a vitiis, in quæ aliis temporibus sumus procliviores, quod a Sancto Augustino antonomastice magnum vocatur Jejunium. *Magnum, & generale Jejunium est abstinere ab iniquitatibus, ac illicitis voluptatibus.* (*Tract. 7. in Jo.*) Quid enim proderit fidelibus ab illicitis carnibus abstinere, nisi ab illicitis voluptatibus abstinuerint? Vel quotidie jejunare, si quotidie novis sese inquinaverint peccatis? Nonne eamdem sibi expectare debent exprobrationem, quam fecit olim Propheta Judæis ab eo quærentibus in ærumna sua, quare nullam habuerit rationem Jejuniorum suorum. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Non est cur miremini, reddidit illis Dominus: *Ecce in die Jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* (*Isaiæ 58.*) Ab epulis quidem abstinetis, fateor, sed pauperum substantiam voratis; eorum, qui vobis obærati sunt, non miseremini, quos inhumane persequimini. Corpus vestrum abstinet, sed cor vestrum plenum est amore vestro, & odio contra proximum vestrum: quænam hæc species est Jejunii? *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis.* (*Ibid.*) Differtis ad vesperam usque cœnam vestram; sed diem totum in litibus, ac jurgiis traducitis. *Nunquid tale Jejunium quod elegi? Nunquam contorquere quasi circulum caput suum?* Creditis vos bene jejunasse, quia solidam transegistis diem, quin comederetis. Nostisne quale Jejunium Deus potissimum ex vobis deposcat, ecce illud Propheta pergit: *Dissolve colligationes iniquitatis, solve fasciculos deprimentes, & frange esurienti panem tuum.* Abscinde omnes feneratorios contractus tuos, & omnia litium instrumenta, alia aliis congesta in saccis tuis, quæ pondere suo te valent opprimere; sine, ut de carceribus miseri egrediantur, quos ære vinctos tenes, quibus modum solvendi aufers, auferens illis libertatem; & quin ita sine ulla miseratione torqueas fratrem tuum, illi in eleemosynam eroga, quod jejunans parcis sumptibus tuis. Misericordia sit vel caussa, vel fructus abstinentiæ tuæ; spirituale Jejunium, quod situm est in abstinentia a peccatis, præcedat semper corporale: oratio, ac interior collectio semper comitetur corporis abstinentiam; hoc est jejunare in spiritu pœnitentiæ, ac in spiritu Christianismi, & mereri, ut tandem aliquando in æternitate remunerationem consequaris. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

DE CÆREMONIA CINERUM.

MONITUM.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Genes. cap. 3.

HÆC sententia, quam Deus olim protulit contra primum hominem post peccatum illius, eadem est, quam Ecclesia fidelis interpres voluntatum Dei hodierna die omnibus Fidelibus nuntiat in hac Cinerum Cæremonia. Iisdem utitur verbis, tamquam loquens nomine ejusdem ad omnes homines reos criminis Paterni, quod in Mundum venientes hereditatis quodam veluti jure acceperunt

Ecclesiæ mens in hac praxi, cujus consuetudo est adeo communis, & cui Christiani sese ultro subjiciunt per devotionem prorsus peculiarem, expressa est in verbis, quibus utitur, & quæ cum auctoritate profert super omnes fideles. Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: *Ciendi videlicet mortis cogitationem per duplicis pulveris recordationem; illius quidem primæ originis nostræ, & illius, in quem post vitam hanc revertemur; ut per hoc serio excitemur ad cogitandum, quod fuimus, quod modo sumus, & quod post hanc vitam futuri sumus.*

Mens autem Ecclesiæ non est solum humiliare nos in intuitu ejus, quod sumus, quod fuimus, & quod futuri sumus; quod unice attinet ad Corpus, quod minima est pars nostrum; verum etiam ad peculiariter imprimendam in nobis cogitationem ejus, quod futuri sumus, cum anima, quæ ex nihilo quidem desumpta est, sed quæ æternum mansura est in statu gratiæ, vel peccati, in quo mundum hunc relinqueas fuerit inventa. Unde sequitur hanc eamdem Cinerum Cæremoniam institutam esse, ut adducamur ad pœnitentiam, ad flagitia nostra deferenda, ad nos morti præparandos, a qua nostra beata pendet æternitas, at tandem ad vitam cum Sanctitate ducendam. Ecce quid nobis ob oculos ponit Ecclesia per hanc Cinerum Cæremoniam, quos capitibus nostris imponit.

DE CÆREMONIA CINERUM.

Ecclesia nobis hos exhibet Cineres, ut reminiscamur quo tendunt ambitio, & vana hominũ consilia.

HI nos Cineres docent, quantumvis ambitio magna foveat consilia, crescendi, sese attollendi, locupletandique, quin dicat umquam satis; mortem tristi fato quamprimum nos ad telluris exapedam redacturam; sed nimis dixi, ad Cinerum pugillum. Huc enim tandem, Auditores lectissimi, ut ita loquar singulos nos cogit Deus. Ecce quo tendunt omnia nostra consilia, omnia cœpta, omnes contentiones nostræ, fortunæ omnes, omnia negotia, verbo, tota magnitudo nostra, cum corpora nostra per novissimam resolutionem, quæ fit in tumulo, coarctantur, breviantur, & in nihilum fere rediguntur: *Ecce vix totam Hercules implevit urnam.* (*Seneca Tragic.*) Quæ mutatio dicebat Sapiens quamvis Ethnicus, videns Sepulcralem urnam, in qua Herculis Cineres continebantur? Hercules ille, heros ille, cui totus non satis erat orbis, totus hac urna capitur? Vix habet, unde hanc repleat urnam! Consideratio, quam nobis hodie proponit Ecclesia, longe sanctius, & efficientius cum nobis inquit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Pater Bourdaloue Sermone de hoc argumento.*

Ecclesia his etiam Cineribus utitur ut cieat in nobis memoriã mortis, & eorũ, quæ mortẽ sequuntur.

Tamen ex me quæritis, cur super caput, frontemque vestrum Cineres imponantur: alterum mysterium, quod explanare vobis arduum non est, & quod debet etiam pietatem vestram ædificare. Cineres capiti nostro imponuntur, quæ sedes rationis est, ut intelligamus objectum vulgatius nostrarum considerationum, dum vivimus, esse debere mortem, & ea, quæ mortem consequuntur. Hoc autem nobis declaratur, cum dicitur: *Memento.* Recordamini, & nunquam obliviscimini; etenim parum prodesset, semel nosse, mortales nos esse, nisi per validam cogitationem, crebramque memoriam hæc persuasio, quam habemus, esset pro nobis Sapientiæ fons, & in nobis non produceret hanc humilitatis dispositionem, quæ jam est pœnitentiæ principium. Hæc ipsa mortis recordatio, semper homines in officio cohibuit; eosque adduxit contra superbiæ rebelliones tamquam in humilitatis necessitatem; ubi enim sive in magnis, sive in parvis, semel humilitas cordis adiit possessionem, facile fieri potest, ut conteratur, atque illud pœniteat. Cur? Quia maximus pœnitentiæ obex sublatus est; intelligo fundum præsumptionis, & superbiæ, cum quo nascimur: sed quia si rite omnia perpendantur, humilitas re vera pars est maxime essentialis conversionis in peccatore. Namque simulac paratus sum ad memet humiliandum; jam præsto sum ad me accusandum, condemnandumque, & puniendum; jam in via sum quærendi Deum, implorandi misericordiam ejus, satisfaciendi Justitiæ Dei, remittendi me sub divinæ legis obedientia, quæ sunt dispositiones ad Christianam pœnitentiam maxime necessariæ. Et ecce quare Ecclesia postquam nobis consideranda proposuit duo Cinerum genera alterum quidem originis nostræ;

Memen-

Memento homo, quia pulvis es, alterum vero nostræ corruptionis futuræ, *& in pulverem reverteris*, primum quo docemur, nihilum esse; & alterum, quod nobis dicit, nos etiam minus aliquid esse; vel potius esse aliquid nequius: quandoquidem nonnisi peccatum sumus; postquam, inquam nobis ob oculos posuit duplicem hunc Cinerem, tertium suggerit, qui perfecte ad utrumque refertur; videlicet cinerem pœnitentiæ. *Pater Bourdaloue in Sermone hujus argumenti.*

Hæc Textus verba peccatori quidem terribilia sunt, pœnitenti vero suavia.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Genes. cap. 3. Hæc sunt memoranda verba, quæ dixit Deus hominum parenti in ipso inobedientiæ ejusdem momento; & hæc eadem Ecclesia unicuique nostrum dirigit singillatim per os Ministrorum suorum in hodierna Cæremonia Maledictionis verba in eo sensu, in quo ea protulit Deus; sed verba salutis, & gratiæ eo in fine, quem sibi proponit Ecclesia, nobis illa proponens. Verba terribilia, ac fulminantia contra peccatorem, cui significarunt damnationis ejus sententiam; sed verba suavia, & solatio plena erga pœnitentem, quia docent illum viam suæ conversionis, & justificationis. Ita sanctus Chrysostomus animadvertit, Deum sæpe illis usum fuisse, modo, ut hominibus judiciorum suorum terrorem imprimeret; modo vero, ut illi efficientiam misericordiarum suarum experirentur. *Pater Bourdaloue Tomo 2. Sermonum suorum.*

Quomodo Deus Ægyptios punit Cineribus.

Nescio, Fideles, utrum unquam animum adverteritis ad id, quod in Exodo legimus. Audite; Rei hujus applicatio vobis naturalis videbitur, & meo mirum congruit argumento. Cum voluit Deus Ægyptum percutere, præcipit Moysi, ut manu sua pugillum Cinerum sumeret, & coram Pharaone illum super populum universum effunderet: *Tollite manus plenas Cyneris, & spargat illum Moyses coram Pharaone.* (*Exod. 9.*) Addit Scriptura Cinerem hunc ita dispersum, fuisse veluti materiam, ex qua Deus effinxit illa flagella, quæ Ægyptum universam tot plagis percusserunt, & ibi generalem vastitatem pepererunt. *Sitque pulvis super omnem terram Ægypti.* Si secundum speciem judicium ferendum est, Deus hoc ipsum præcipit Ecclesiæ suæ Ministris; vult Sacerdotes legis gratiæ de Altari Cinerem sumere, eumque super universum populum Christianum effundere: *Tollite manus plenas Cineris.* Sed in Dei intentione hujus Cæremoniæ effectus est longe alius ab eo, quem in lege veteri operatus est. Cum enim Moyses, & Aaron effuderint Cineres super Ægyptios, ut pondus iræ divinæ experirentur, ut Pharao intelligeret, se a Deo reprobatum esse; ut edomaret impietatem, & obdurationem hujus Monarchæ tunc traditi ultioni Dei; opposito prorsus consilio Sacerdotes novæ legis hodierna die Cineres super capita nostra effundunt, ut nobis gratias, & favores Dei ipsius concilient, & nos eum in statum adducant, & pares efficiant, qui bonitatis illius participes efficiamur, & ut excitent in cordibus nostris sensus veræ pœnitentiæ. *Pater Bourdaloue Tomo 2. Sermonum suorum.*

Cineres cient in nobis contemptũ nostri, & nostram superbiam frangunt.

Ecclesia per hæc Verba: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: nobis nostri contemptum immittit; quasi diceret: cur mortalis homo sine caussa vindicas tibi chimæricam, atque commentitiam magnitudinem? Memento ejus, quod paucos annos ante hanc diem eras, cum Deus per omnipotentiam suam eduxit te ex luto, & nihilo; Memento ejus; quod intra paucos annos futurus es; cum modicus hic dierum numerus, qui tibi adhuc est reliquus, excesserit. Ecce duo termini, intra quos opus est, ut velis, nolis, omnis cesset ambitio tua. Ratiocinare, quantum tibi placuerit secundum duo ista principia; nihil inde argues, non solum quod te non humiliet, sed quod te non revocet ad officium, tunc etiam, cum ita cæcus, & insipiens fuisses, ut ab eodem recederes. Tale est, iterum dico, o Fideles, salubre, & maximi momenti monitum, quod vobis Ecclesia suppeditat, tamquam pia, & sapiens Mater omnibus filiis suis. *Idem.*

Cineres cogunt nos, ut juste sentiamus de aliis, & alii de nobis juste sentiant.

Cupiditates nostræ injustæ sunt in iis sensibus, quos nobis inspirant in proprium commodum, sive in illis, quæ in alienum incommodum cient; sed Mors, Philosophus inquit, nos inter æquitatis terminos cogit: *Mors sola jus æquum est generis humani.* Et profecto cum de morte non cogitamus, & rationem tantum habemus quarumdam hujus vitæ distinctionum; hæ nos inflant, perstringunt, ac nobismet ipsis replent; ambitione intumescimus, superbia efferimur, indignabundi, & aliorum contemptores evadimus, molles, & delicati; invidi, & ultores, audaces, violenti, iracundi; cum fastu, & acrimonia loquimur, facile offendimur, difficile parcimus; hunc lacessimus, illum perdimus; opus est, ut omnia cedant nobis, & putamus omnibus rationem nostri esse habendam, cum nullius nobis habendam esse censemus. Nonne hoc illud est, quod principum virorum dominationem gravem adeo, ac duram facit? Sed mortem paullisper meditemur; & quam primum mors ipsa docebit exercere Justitiam, eamque aliis reddere nostrarum ambitionum, indignationum, contemptuum, irarum, invidiarum, ultionum, morositatum, furorum. Quemadmodum ergo non opus est secundum imperium, & verbum Dei Omnipotentis, nisi arenæ modicum, ad maris fluctus contringendos; *Hic refringes tumentes fluctus tuos*, (*Job 38.*) ita cinis hic, quem capiti imponit nostro, satis est ad frangendos tumores cordis nostri, ejusque ardores restringendos, ut nos in humilitate contineat, & in sapienti mediocritate. Quomodo istud? Quia mors nobis ob oculos ponit perfectam æqualitatem, quæ adest inter homines ceteros, & nos. Æqualitatem, cujus libenter obliviscimur; sed cujus adspectus nobis est ita necessarius, ut æquiores, humanioresque efficiamur. *Pater Bourdaloue.*

Non possumus intumescere, cũ cogitamus nos per mortẽ ceteris æquales fieri.

Cum nobiscum taciti reputamus, quod olim dicebat Salomon, ac cum illo repetimus. *Si unus, & stulti, & meus occasus erit:* (*Eccl. 2.*) Licet sapiens sim, mihi tamen moriendum est, non secus ac insipienti; cum nobismet applicamus illa Regii Prophetæ verba: *Dii estis, & Filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini:* (*Psalm. 81.*) Estis mundi hujus Numina, estis Altissimi Filii; sed fallacia Numina estis mortalia, & vere moriemini sicut illi, a quibus thus exigitis, & a quibus coli, & adorari vultis; cum secundum Scripturarum locutionem, viventes adhuc, & in spiritu in Sepulcrum descendimus; & sapiens ibi cum rudi, nobilis cum plebejo, celeberrimus terrarum domitor cum abjectissimo mancipio permixtus invenitur; eadem terra tumulantur; iisdem tenebris ambiuntur, iisdem vermibus vorantur; eademque omnium est corruptio, eadem putredo, idem pulvis: *Parvus & magnus ibi sunt, & servus libera Domino.* (*Job 3.*) Quam ideam post hæc habere debemus nostrummetipsorum? *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

Mens est Ecclesiæ capiti nostro Cineres imponentis efficere, ut sentiamus, quid simus & nosmet humiliemus.

Ad superbiam nostram infringendam Ecclesia nobis exhibet Cineres, eosque nostris capitibus imponit. Cur Cineres? quia, Sanctus Ambrosius ait, nil melius nobis potest ostendere, quid sit mors, & extremam humiliationem, ad quam nos redigit mors, nisi pulvis, & cinis. Utique hi Cineres, quos recipimus prostrati ad pedes Ministrorum Domini; hi Cineres, quorum benedictio, secundum Sancti Gregorii Nysseni mentem hodierna die est veluti Mysterium, vel si mavultis, veluti Sacramentum nostræ mortalitatis, ut nos quatenus homines humiliet, & in nos quatenus peccatores immittat sensus conversionis perfectæ, sincerique reditus ad Deum. Quippe nos docent id, quod fortasse ignorare cuperemus, & quotidie oblivisci conamur, sed væ nobis, si unquam incidimus, vel in adeo deplorabilem ignorantiam, vel in oblivionem adeo funestam. *Pater Bourdaloue in veris Sermonibus suis.*

Hi Cineres nobis revocant in mẽtem vanitatem omniũ magnalium quæ admiramur.

Nos docent, hæc omnia magnalia quibus mundus gloriatur, & quibus hominum pascitur superbia; hoc genus, quod jactamus, hanc auctoritatem, propter quam superbia efferimur, hæc bona, propter quæ nobismet ipsis plaudimus, hos honores, de quibus gloriamur, hanc pulcritudinem, hanc virtutem, hanc nominis celebritatem, quam veluti idolum colimus; hæc omnia, quidquid adnitamur, vanitatem esse, atque mendacium. Si enim accedo ad Sepulcrum magni alicujus mundi Principis, ejusque epitaphium ad examen voco, nihil video, nisi elogia, titulos speciosos, præclara facta, honores acceptos: quidquid fuit, & quidquid gessit ibi magnificis verbis ostentatur. Ecce quid extrinsecus patet; sed hic mihi tumulus aperiatur, & liceat mihi quod intus latet, intueri. Nihil video nisi turpe cadaver, nisi ossa arida, ac tabo manantia, nisi modicos Cineres, qui mihi revivíscere videntur, ut mihi dicant: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

Cineres nobis exprobrant superbiæ nostræ injustitiam cum nosmet attollere volumus.

Docent, nos igitur injustos esse, cum quocumque pretio, & sæpe contra ordinem Providentiæ enitescere volumus, & eam sustinere personam, quæ nostram palpat vanitatem; hos honores, quos tanto calore quærimus, hæc jura, quæ nobismet vindicamus, hunc dominandi habitum, quem adfectamus, hæc obsequia, quæ captamus, hanc ferociam, quam præ nobis ferimus, hanc rationem, quam de nobis haberi volumus, totidem esse superbiæ nostræ usurpationes, nobismet persuadentes non secus ac Pharisæo Evangelico, nos nequaquam esse sicut homines ceteros: quem errorem nobis aufert cinis, ad quem post mortem redigimur per æqualitatem, ad quam omnes conditiones adducit; dicamus melius, per integram earum destructionem. Videtis enim, disserte Sanctus inquit Augustinus in libro de Natura, & Gratia; videtis, utrum in fractorum tumulorum reliquiis distinguere valeatis pauperem a divite, plebejum a nobili, infirmum a forti. Videtis utrum Regum, & Monarcharum Cineres differant a subditorum, & mancipiorum Cineribus. *Pater Bourdaloue in veris Sermonibus suis.*

Quomodo non debemus unquã oblivisci nos pulverẽ esse.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Hic terminus est in quem omnia hominum consilia, omniaque mundi magnalia debent allidere: hæc unica, & solida est cogitatio, quæ ubique, & semper occupare nos decet: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Memento, quicumque es, dives vel pauper, magnus vel parvus, Monarcha, vel Subditus; verbo omnes homines generatim, & quilibet homo singillatim: memento te nonnisi pulverem esse, ac te in pulverem esse reversurum. Hæc tibi non placebit memoria; cogitatio hæc te affliget, turbabit, torquebit: sed te affligens curabit. Tibi salutaris erit, & fortasse tamquam salutaris fiet tibi non solum tandem tolerabilis, sed etiam suavis, & accepta. *Pater Bourdaloue.*

Cogitatio mortis, quã Cineres cient, destruit in nobis ideam omniũ mundi magnalium.

Mors, Sanctus Chrysostomus inquit, nobis est palpabilis, atque sensibilis probatio nihili rerum omnium humanarum, quas perdite amamus. Hæc illas nobis tradit cognoscendas; reliqua nos fallunt. Mors una fidele speculum est, quod sine ulla dissimulatione ostendit nobis instabilitatem, fragilitatem, caducitatem bonorum vitæ hujus; quod omnes nobis aufert errores, quod omnia destruit amoris mundi præstigia; & quod ipsas Sepulcri tenebras nobis convertit in fontem luminum; quibus mentes nostræ non secus ac sensus

æque

brevi ſumus reverſuri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cinerū adſpectus nobis oſtendit nos nihil eſſe niſi Cinerem, & pulverem.

Quemadmodum inde noſtra proficiſcitur ſuperbia, quia ignoramus, quod ſumus, Cinerum adſpectus nobis æquiorem tribuit ideam, ac veriſſimam noſtri cognitionem: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hoc enim eſt in mentem revocare originis noſtræ principium, quod confuſionem nobis debet ingerere in hiſce magnitudinis, & elevationis ſenſibus, quibus cor noſtrum duci permittit. *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Pulvis, & Cinis unquam ne cogitaſti, quid ſis, & undenam originem duxeris? Oportet ne, ut dicamus tibi id, quod ipſi etiam Ethnici judicarunt, nihil eſſe dementius, quam putare, nos aliquid magnum eſſe, cum adeo parum conſiderabilia principia habuerimus? *Idem.*

Quamvis homo excellentiſſimum ſit opus manuum Dñi, tamen cinis, & pulvis eſt.

Eſto, ex hoc pulvere Deus fecerit eximium opus manuum ſuarum; *Limum titulo hominis inciſum*, ut loquitur Tertullianus, imaginem Creatoris ſui: Eſto, illud omnibus decoraverit privilegiis corporis, & ſpiritus, & naturalibus hiſce qualitatibus eas omnes adjecerit, quas ſtudium, ars, & educatio illi conferre potuerunt; hi Cineres prohibere ne debent, quominus obliviſcamini veſtrum, atque intumeſcatis vobiſmet oculis proponentes, vos non aliud eſſe, quam pulverem! Heu! hæc vobis ingenita ſuperbia haud ita facile perſuadebit; multitudo eorum, qui vobis circumſtant, adorationes eorum, qui vobis blandiuntur, fruſtra cor veſtrum inflant. Non dicam vobis hic cum Principe Apoſtolorum: humiliamini ſub potenti manu Dei, cui omnia debetis, & qui ex pulveris pugillo vos id fecit, quod eſtis; ſed dicam cum Eccleſia, vobis pœnitentiam veſtram eſſe inchoandam humiliando vos coram hoc Magno Deo, quem læſiſtis; cum enim nihil ſitis niſi pulvis, & cinis, auſi eſtis inſurgere adverſus hunc Majeſtatis Deum; ideoque proprie loquendo non eſtis niſi nihilum rebelle, ut quidam Sanctus Pater ait; fertis humiliationem veſtram in medio veſtri, & in vobiſmetipſis; & nihilo ſecius auſi eſtis inſurgere contra Dominum univerſorum. Hæc, Chriſtiani, juſtiſſima eſt, & vulgatiſſima pœnitentiæ cauſſa; inde enim deſumenda eſt nequitia, & gravitatis peccati menſura, videlicet ex indignitate, & humilitate lædentis, nec non ex læſi magnitudine, & majeſtate. Hoc proculdubio aptiſſimum eſt ad ciendum in vobis dolorem, & confuſionem, quæ in pœnitentia requiritur. *Idem.*

Quibus cum ſenſibus accedendum ſit ad hanc Cæremoniā.

Ad ſervandam ſalutarem hanc confuſionem, quæ debet concomitari ſpiritum contritionis, & pœnitentiæ, quem Eccleſia nobis immittere ſtudet, accedere debemus ad hanc Cinerum Cæremoniam, ut retundamus omnes vanitatis, atque ſuperbiæ ſenſus, quos optimæ qualitates, & privilegia quibus inter ceteros eniteſcimus, nobis poſſunt immittere. Etenim Auditor mi, licet vere talis eſſes, qualem te jactitas, nonne ſatis eſt, ut in omne vitæ tuæ ſpatium rubore ſuffundaris, videre in his Cineribus id, quod certiſſime futurus es poſt obitum tuum? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Mortis ſententia a Deo contra omnes homines prolata effectu carere nō poteſt in aliquo.

Si modo cogitamus executionem ſententiæ contra nos latæ propter parentum noſtrorum peccatum, conſtat, & certus ſum vobis hoc ſatis perſuaſum eſſe, eamdem ſerius, ocyus in vobis quoque adimplendam eſſe, quemadmodum jam adimpleta fuit cum iis, qui præceſſerunt; ita ut, quamvis rationes ceteræ deſumptæ ex experientia, conſtitutione corporum noſtrorum, & principiis illa componentium non omnimodam nobis afferrent certitudinem, aliquando eſſe nobis moriendum: tamen liqueret ſententiam a Deo latam certiſſime effectum ſuum eſſe conſecuturam. Etenim ſicuti ille ab ipſis mundi primordiis præcepit, ut omnia viventia vitam darent aliis ſibi ſimilibus; videmus præceptum hoc naturam univerſam aluiſſe; & nihil defuiſſe, quod uſque in præſens juſſa Dei non capeſſeret: hoc ipſum accidet morti noſtræ, quod accidit vitæ. Hanc Dei juſſu recepimus, eamque divinæ Juſtitiæ imperio amittemus vi ejus ſententiæ, quam tulit adverſum nos. Hoc ſignificant verba illa, quæ hodie repetit Eccleſia: *pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

Nulla eſt pœnitentia quæ mulcere valeat mortis terrores.

Sed inſtaurando, vel potius ſignificando ſingulis prolatam contra omnes homines generatim ſententiam, Eccleſiæ mens eſt, exarmare, ut ita dicam, mortem ipſam, ſimul ſuadere pœnitentiam, quæ illi auferre poteſt quidquid in illa maxime pertimeſcendum eſt; audeo dicere Eccleſiam excitare non poſſe nos acrius ad hanc pœnitentiam, & hoc ad conſilium ſincere ineundum, quam hanc nobis ſententiam indicendo, & efficiendo, ut hæc mortis verba, quæ profert, altius penetrent in mentem noſtram, & cor. Si enim pœnitentia conſiſtit in peccato primum quidem relinquendo, & mox per jejunia, & ſanctos rigores, quos inſpirat, expiando; quid efficientius utrumque nobis perſuadere poteſt, quam actualis cogitatio mortis, quam iſti Cineres nobis in mentem revocant, & naturaliter oculis noſtris ſubjiciunt? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cineres quovis tēpore fuerunt ſymbolum cordis contriti, & humiliati.

Dico igitur, Fideles, Cineres ſemper ſymbolum extitiſſe cordis contriti, & humiliati. Ita Jeremias Propheta olim invitabat populum, ut lacrimis, atque gemitibus proſequeretur mala ſibi impendentia, eumque admonebat, ut ſe ipſum Cinere adſpergeret: *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere Cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* (*cap. 6.*) Neque aliter loquitur Ezechiel, ut exprimat afflictionem, & miſeriam, quam populus ille perpeſſurus erat. *Clamabunt amare, & ſuperjacient pulverem capitibus ſuis, & Cinere conſpergentur.* (*cap. 27.*) Videmus tandem cum Jonas Propheta Ninivitis nuntiavit urbis illius exitium, ac proximam vaſtitatem, Regem eorum, quia tunc inſignis creditur fuiſſe Sardanapalus, de ſolio ſurrexiſſe, indutumque ſacco, in pulvere ſediſſe, & Aulæ ſuæ Principibus præcepiſſe, ac populo univerſo, ut idem facerent teſtaturi dolorem ſuum, ſinceramque præteritorum ſcelerum pœnitentiam. Conſtans igitur veritas eſt in Scripturis, Cineres eſſe ſignum doloris, ac ſenſibilis afflictionis; & ſicut inde initium faciendum eſt pœnitentiæ, quæ eſſe non poteſt citra dolorem læſæ Majeſtatis Dei; Eccleſia non poterat melius nos erudire, quo pacto pœnitentia facienda ſit, quam per hoc ſymbolum, quod indigitat cor contritum, & humiliatum. *Idem.*

Primi Chriſtiani Cineribus utebantur, ut ſuam pœnitentiam innuerent.

Hic eſt corporis habitus, quo primi Fideles ſeſe offerebant, ut agerent pœnitentiam poſt grave aliquod peccatum cum ſcandalo conjunctum, Cineribus adſperſi, & a reliquis hominibus ſeparati, & nullus dubito inde profectam eſſe conſuetudinem hac die Cineres diſtribuendi: quod unum eſt ab Eccleſia retentum de veteri illa, publicaque pœnitentia, quam e re cenſuit relaxare; unde factum eſt, ut modo hæc mera ſit Cæremonia: quæ tamen nos monet, quod cum olim dolor numinis læſi ſuadebat fideles, ut ſe Cineribus adſpergerent, modo Cinis iſte excitare debeat in nobis dolorem peccatorum noſtrorum, idque ad mortis intuitum; nihil enim magis formidandum eſt, quam diem extremum obire antequam vera facta fuerit pœnitentia. Itaque ſi Eccleſia nos non adigit, ut Cineribus cooperiamur, & induamur ſacco, & cilicio, ut in ſtatum adducamur obtinendi veniam peccatorum; Cineres ſaltem nos moneant, ut verum dolorem concipiamus; ut cor noſtrum conteramus, ac illud, ut ita dicam, redigamus in Cineres violenta, veraque converſione: *Scindite corda veſtra &c.* (*Joelis 2.*) *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cinerum Cæremonia ſuadet nobis dolorē, & pœnitentiam peccatorum noſtrorum.

Hæc validior eſt ratio, quam invenerit Eccleſia ad efficiendum, ut aſſequeremur ſenſus Sancti Viri Job, qui ſæpe ſeipſum excitabat ad dolorem, & pœnitentiam peccatorum ſuorum per hanc conſiderationem; *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paullulum peccata mea*: Nonne quamprimum mihi moriendum eſt? Ætas mea, conſtitutio corporis mei, ſtatus ad quem redactus ſum, nonne admonent me, dierum meorum finem non procul abeſſe? Ita proculdubio, & ecce quid inde arguat: *dimitte ergo me, ut plangam peccata mea*, & dolorem, quem merentur, concipiam. Hæc eſt, Chriſtiani, cogitatio, quam fovere debetis ad horum Cinerum adſpectum; inſtat mihi finis vitæ meæ; de hoc non licet ambigere; hi Cineres illum mihi oculis ſubjiciunt, & in me cient memoriam ſtatus illius, in quem brevi ſum redigendus: Sed quæ mortem conſequuntur, mihi nimis terribilia ſunt, ita ut contra periculum adeo manifeſtum mihimet diligentiſſime ſit præcavendum. Dimitte ergo me, ut pœnitentiæ lacrimis deleam peccata mea: ut conſcientiæ meæ ſecuritati proſpiciam, & me in eum redigam ſtatum, in quo coram Deo apparere deſidero: *Dimitte me, ut plangam paullulum peccata mea. Idem.*

Cinis, & pulvis humiliationis ſenſus inſpirant.

Quapropter cum Cinis, & pulvis ſint extrema humiliatio, ad quam homo redigi valeat, dejectio de titulis omnibus, qui nos palpant, & veluti annihilatio hominis ipſius; verbo, quidquid in mundo abjectiſſimum eſt, & maxime contemnendum, quandoquidem hoc illud eſt, quod pedibus teritur, majorem præ nobis ferre non poſſumus humiliationis ſpeciem in noſtra pœnitentia, quam capiti noſtro Cineres imponentes; quia hoc eſt nobis in mentem revocare, quod ſumus, & quod brevi futuri ſumus, & quod fuimus: & ſicut nemo inferius deſcendere poteſt niſi rependo in pulvere; ita nemo humilius de ſe ipſo ſentire poteſt, quam ſeſe tamquam talem reſpiciendo. Hæc erat Sententia Abrahæ cum Deo loquentis: *loquar ad Dominum cum ſim pulvis, & cinis*; & David in pœnitentia ſua credebat ſe non poſſe ultra coram Deo humiliare, quam ventre in terram demiſſo in pulvere volutari. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Idem.*

DE ALIIS NONNULLIS CÆREMONIIS,

Et præcibus, quæ in Eccleſia Romana uſum obtinent.

MONITUM.

MOnuimus jam, quidquid in Eccleſia fieri conſuevit myſticum eſſe, atque ſymbolicum, verba, actiones, geſtus, corporis habitus, ipſa etiam, quæ vulgatiſſima ſunt, & quorum uſus in mundo frequentiſſimus eſt, ex quo conjici poteſt, præter Cæremonias maxime eſſentiales, de quibus actum eſt, longe plurimas ſupereſſe, quæ aliqua repræſentant Myſteria, vel ea comitantur; ex quibus conſequenter hauriri poſſunt ſalubria quædam documenta, vel novi quidam ſenſus pietatis. Sed hæc eadem multitudo non patitur, ut in ſingulis immorer, de quibus doctiſſimi auctores integra, & ſpiſſa volumina ediderunt; præter quam quod multa ſunt, quæ raro præbent occaſionem inſtituendi ſermonem, cum vulgo fideles hæc teneant, & calleant: Illis tantum immorati ſumus, quæ merentur ſingillatim aliquam animadverſionem, ne ex conſuetudine duntaxat fiant, & ſine ullo ſenſu pietatis. Hujuſmodi ſunt uſus Cereorum, vel Luminariam; Thurificationum, Supplicationum, Aquæ Benedictæ &c. Quæ cum non ſint Concionum argumenta, paucis verbis expediemus.

DE CEREIS, LUMINARIBUS, ET LAMPADIBUS,

Quibus Catholica utitur Eccleſia in Cæremoniis, & Myſteriis.

Hæretici qui repulerunt Eccleſiæ praxim accendendi cereos, & lampades.

HÆreticus Vigilantius irridebat Cereos, qui ſemper ardebant coram corporibus, Sacriſque Sanctorum Reliquiis. Joannes Hus in Sermone de funeribus ait, faces, quæ deferuntur, Principum dumtaxat ambitioni deſervire, in pauperum vero ludibrium cedere. Lutherus in Confeſſione ſua recenſet luminaria inter ea, quæ nullo ſunt in diſcrimine habenda; Calvinus illa neſcit reprehendere, niſi Catholicos redarguens, quia illa magis quam divina Præcepta habent in pretio. Beza in Epiſtola octava ait Cereos partem eſſe nugarum Eccleſiaſticarum, ſed non videt, ſi hæ nugæ ſunt, opus eſſe, ut ſibi vertat in ludibrium Scripturas, Sanctos Patres, Hiſtoriam, rationem, & ipſum Deum. *Inſtitutio Catholica P. Cotton.*

Eccleſiæ praxim hanc proba.

In Exodo cap. 23. imperavit Deus Moyſi, ut Candelabrum conflaret ſeptem habens lampades, quæ e regione Propitiatorii lucerent, & cap. 27. præcipit, ut filii Iſrael afferant oleum puriſſimum, ut lampas ſemper luceat in Tabernaculo teſtimonii; & cap. 7. Levitici inter cetera imperat, ut ignis ſemper ardeat in Altari. Quod ſpectat ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, Euſebius Cæſareenſis lib. 6. cap. 8. narrat, cum in Paſchatis Pervigilio deficeret in Eccleſiæ lampadibus oleum, ad preces Beati Narciſſi aquam in oleum fuiſſe converſam, & addit in miraculi hujus memoriam partem olei ejuſdem ad ævum uſque ſuum conſervatam fuiſſe. Idem Hiſtoricus lib. 4. de vita Conſtantini deſcribens illius funera, recenſet magnam vim funalium ardentium in aureis candelabris tanta cum luce, ut nihil unquam tale viſum fuerit. In Tomo primo Conciliorum in ſancti Sylveſtri vita legimus, inter donaria, quibus ille Imperator ornaverat Reliquias Sanctorum Petri, & Pauli, atque Laurentii, nec non Templum Sanctæ Crucis, plura extitiſſe Candelabra, & lampades magni pretii quæ jugiter ardere debebant non jam communi oleo nutrita, ſed nardo liquata, aut balſamo puriſſimo. *Idem.*

Teſtimoniū SS. Patrum de uſu Cereorum. Cyrillus Hieroſ. or. de Occurſu Domini.

Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Orthodoxos verba faciens de Arianorum perſecutione, inter cetera narrat, illos obtuliſſe Idolis Cereos, qui adhibiti fuerant in Templis in honorem Dei. Sanctus Czrillus Jeroſolymitanus io Oratione Domini noſtri, vel Purificatione Virginis hortatur nos, ut candidam Ceram offeramus Vitæ Immaculatæ Jeſu Chriſto, qui eſt lumen noſtrum. Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione 40. quæ eſt de ſancto Baptiſmo, ait per Cæreos, & Lampades, quarum uſus eſt in Eccleſiis, nos comparari Virginibus Evangelicis, & hoc pacto ſuaderi, ut ſequamur, & imitemur Virgines Sapientes, videlicet, ut nobiſcum afferamus Oleum bonorum Operum. Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola. quam ſcribit ad Olympium de exequiis Sororis ſuæ Sanctæ Macrinæ narrat, ſe unum ex ſandapilæ lateribus ſuſtinuiſſe; magnum adfuiſſe numerum Diaconorum, aliorumque Eccleſiaſticorum præcedentium corpori, manuque Cereos præferentium. Socrates loquitur, (*Hiſt. Eccl. l. 6. c. 8.*) de quibuſdam Crucibus, quibus applicabantur Cerei ſumptibus Eudoxiæ Imperatricis. Sozomenus ſcribit ſanctum Joannem Chryſoſtomum conſueviſſe facere, ut in Supplicationibus deferrentur funalia, quæ præibant ſignum Crucis, & unum ex Eunuchis Imperatricis præfectum fuiſſe illis alendis. Theodoretus narrans (*Eccl.Hiſt. l.5. c.36. Juſtin. Imper. in autb. 67.*) magnificam pompam, qua receptum fuit corpus ſancti Joannis Chryſoſtomi, ait, Conſtantinopolitanos cives occurriſſe illi magna cum navicularum frequentia, & repleſſe Boſphoram luminibus, undequaque collucentibus. Juſtinianus Imperator (*Cap.3.*) præcipit, ut in conſtruendis Eccleſiis, Oratoriis, Sacellis, Conditores meminerint ſtatuere fundos pro Luminaribus. Sanctus Hieronymus diſputans cum Vigilantio irridente, quod in ipſo meridie in Eccleſia accenderentur Cerei, ait, in toto Oriente conſuetudinem hanc viguiſſe, præſertim vero cum legitur Evangelium, non quidem ad tenebras ejiciendas, ſed ad ſanctam lætitiam ſignificandam. (*Cap. 6.*) Quartum Punicum Concilium præcipit, ut Acolythus Cereum cum Candelabro de manu Archidiaconi accipiat, admonitus ſuum eſſe lampades accendere, Cereos, & Candelas in Eccleſia. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 65. teſtatur ignem, & lumen adhiberi conſueviſſe in Sacramentorum adminiſtratione, in exorciſmis, & catecheſibus; & ſanctus Paulinus, Epiſcopus Nolanus, (*nat.3.*) eorum temporum ſuppar, meminit in Carmine Panegyrico de ſancto Felice, (*Hiſt. Franc. l. 5. c. 11. Idem l. 8. c. 10.*) funalium, quæ ſuper Altaria collucebant. Sanctus Gregorius Turonenſis, loquens de nonnullorum Judæorum Baptiſmo narrat, quomodo Lampades, Cereique concomitati fuerunt recentes hos Catholicos; & alibi narrat etiam quomodo Clodovæi corpus translatum fuit in Templum ſancti Vincentii cum innumera Cereorum multitudine, quos Clerus æque, ac populus deferebant. *Inſtitutio Catholica Patris Cotton.*

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. V.

Præcipua Cerearum ſollemnitas eſt dies Purificationi Virgini Sacræ.

Ex omnibus ſollemnitatibus, quas ſervat Eccleſia cum Cereorum Cæremonia, nulla major eſt die Sacra Purificationis Virginis; quippe tunc manu geſtantur Cerei benedicti accenſi in ſupplicationibus. Sanctus Eligius, qui ſeptimo vivebat ſæculo, palam nos docet hos Cereos hoc die feſto adhibitos fuiſſe ad permutandam in ſanctam Cæremoniam paganam Lupercalium ſuperſtitionem, quæ nondum auferri potuerat. Per illam Cæremoniam Ethnici putabant ſe expiari non poſſe niſi Cereis accenſis, quos deferebant in honorem complurium fallacium divinitatum. *Recens Auctor.*

Ejuſdem argumenti.

Cum omnes Eccleſiæ Cæremoniæ Sanctæ ſint, & ad Fidelium Sanctificationem inſtitutæ, ſancta eſſet praxis intereſſe ipſa die Purificationi Beatæ Virginis Sacra, benedictioni, & diſtributioni Cereorum eodem ſpiritu, quo facit Eccleſia; videlicet ad agnoſcendum, amandum, & adorandum cum viva Fide illum, qui recognitus, receptus, adoratuſque fuit hac die a Sancto Sene Simeone pro Mundi Salvatore, veroque lumine, quod ſeſe detegere debebat Gentilibus; & ſicuti Eccleſiæ mens fuit per totam hanc Cereorum Cæremoniam abolere memoriam profanarum luſtrationum, quæ apud Ethnicos inoleverant; ſed potiſſimum accendere ardentem amorem Jeſu Chriſti, cujus figura eſſe poteſt Cereus accenſus; Nullus eſt fidelis, qui eſſe non debeat lux mundi per morum ſuorum puritatem, & bona exempla. Utiliſſimum eſſet Chriſtiano habere ſemper in Cubiculo ſuo unum ex benedictis hujuſmodi Cereis, tunc accendendum, cum ſibi noviſſima adminiſtrabuntur Sacramenta, ſibique fiet animæ commendatio. igitur Eccleſiaſticæ hujuſmodi benedictiones non ſunt nullo in diſcrimine habendæ; Orationes, quas Eccleſia fundit, ſunt efficaces, & Deus ſupernaturalem impertit virtutem iis omnibus, quæ illa benedicit. Quapropter Chriſtianus hanc ſibi legem irrogare debet, ut adſit omnibus Eccleſiæ cæremoniis magna cum reverentia, & ſenſu Religionis. *P. Croiſet in Aſceticis.*

S. Hieronymus rationem adfert propter quā Cereum plena die accenduntur.

Sanctus Hieronymus teſtatur in Oriente toto Cereos pleno die accendi conſueviſſe cum canebatur Evangelium, ut hoc Symbolo reverentiam, atque lætitiam ſignificarent. Eadem mente Eccleſia inſerit in manu recens baptizati Cereum ardentem, dicens illi per Miniſtrum hæc verba ſenſum ipſius ſignificantia; Accipe lumen ardens. Primi ex Sanctis Patribus, qui de hac Cæremonia verba fecerunt, non loquuntur niſi ſub hac myſtica idea, neque alias, niſi ſymbolicas afferunt rationes. Sanctus Gregorius Nazianzenus primam hujus Cæremoniæ originem ait deſumptam ex illis fuiſſe Jeſu Chriſti verbis: Præcincti eſtote, ac præ manibus habete lampades ardentes; & in eodem ſpiritu, Sanctus Cyrillus olim recens baptizatis dicebat: Vos qui nuper accendiſtis Cereos veſtros, qui ſunt fidei ſymbola, curate, ut lumen veſtrum ardeat. (Catecheſ. 1.) Sanctus Cyprianus, Sanctus Auguſtinus conſentiunt, neque hujus conſuetudinis alias afferunt rationes, niſi myſticas; atque eorum teſtimonio inhærendum eſſet; quia omnium primi hac de re ſunt locuti, & nemo præ illis aſſequi potuit ſpiritum harum inſtitutionum. *Auctor recens.*

Antiquitas uſus Cereorum.

Apertiſſima habemus teſtimonia ſæculis tertio, & quarto Cereos jam uſum obtinuiſſe, ſeu propter ſimbolicas rationes, veluti cum in Neophitorum manu collocabantur, ſeu honoris gratia, & tamquam aliquod ornamenti genus, quod proderat, ut Deo Cultus magnificentior, atque ſollemnior adhiberetur. Uſus hic jam percrebuerat tempore Heliberitani

æquæ perstringuntur: *in illa die* inquit Scriptura loquens de Filiis Sæculi, qui sese cupiditatibus suis mancipaverunt, *In illa peribunt omnes cogitationes eorum. Idem.*

Cinerum Cæremonia perutilis est nobis ut mortis reminiscamur; qua omnes homines damnati fuerfti.

Cæremonia imponendi hodierna die Cinerem super caput, non est mere exterior Cæremonia, vacua, indifferens, sterilis; praxis est religiosa: quæ revocans nobis in mentem formidabilem Sententiam latam contra nos a supremo Judice, fit symbolum pœnitentiæ, & nostræ mortalitatis. Quid igitur hodierna die facimus cum Cinerem capitibus nostris imponimus? Facimus, quod faciebat Josue cum placaturus Deum Exercituum, & reparaturus furtum ex manubiis Jericunthis, ipse, & seniores Israel operuerunt Cinere capita sua; Facimus, quod Jeremias etiam, atque etiam commendabat Principibus Juda in desolatione Patriæ suæ, illos admonens futurum, ut quam primum morerentur: *Quia completi sunt dies vestri*; Facimus, quod faciebat Esther, Judith, Mardochæus, & Rex Ninivitarum. Facimus denique, quod in lege gratiæ Jesus Christus nobis dixit Tyrum, & Sidonem facturas fuisse, si ille ob earum oculis eadem operatus fuisset prodigia, quæ sub oculos Corozaim, & Bethsaida fuerat operatus: *In Cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*; facimus, quod tot Sancti fecerunt. Humiliantia verba, quæ Sacerdos, Cinerem manibus teneas, hodierna die profert super hominem pedibus suis obvolutum, proprii sunt termini sententiæ latæ contra primum hominem in peccati ejusdem pœnam. Ecclesiæ mens Cinerem fronti imponentis, est nos excitare ad pœnitentiam, ad contemptum nonstrumet ipsorum per intuitum reliqui hujus vitæ spatii, in quo omnia terminantur bona, voluptates, mundi hujus honores, & quo nos iidem redigemur in morte. Orationes, quas super hos Cineres fundit Ecclesia, secretam tribuunt vim religiosæ huic Cæremoniæ, quæ inspirat etiam, & secum trahit gratiam Pœnitentiæ super omnes illos, qui hunc Cinerem super caput recipiunt cum sanctis dispositionibus in corde. Quem parere non debet effectum hæc praxis Religionis? quem vitæ contemptum? Quod creatorum bonorum fastidium? Videri ne potest hic Cinerum pugillus, imago vera illius, quod aliquando futuri sumus? Audiri ne potest hæc sententia, hoc terribile oraculum, cujus minarum veritatem quamprimum sumus adimpleturi, quin nostra conteratur ambitio, quin mollities nostra damnetur, quin superba consilia nostra confundantur, quin nos pudeat, atque pœniteat tanti fecisse fallacia vitæ hujus commoda? Quam salubre pharmacum est hi cineres effusi supra cordis humani tumorem! Quam apti sunt ad aperiendos oculos, & dignoscendum mendacem fulgorem tot fallentium illecebrarum! Quam bene condire possunt amaras, quæ nobis accidunt, adversitates!

Boni effectus quos parit Cinerum Cæremonia.

Si cogitamus quot bonos effectus parere valeat hic Cinis capiti impositus, receptusque cum spiritu Religionis, cum puro, contrito, & humiliato corde, & cum iis dispositionibus, quas hæc sancta Cæremonia reposcit: Mortis cogitatio inseparabilis ab hac religiosa praxi primus est effectus quem ille producit. Licet esses potentissimus totius Orbis Monarcha, felicissimus omnium hominum; morieris; & tota hæc pompa, hæc magnitudo, hæc nominis celebritas, hæc tumultuosa felicitas, quæ tot invidos creat; hæc omnia pereunt in Sepulcro. Perscrutare superba hæc Mausolea, superba humanæ vanitatis monumenta; nihil nisi pugillum invenies Cinerum minus pretiosum urna, in qua continentur. En quid tandem est reliquum insignium Principum, qui Ævi sui terror, atque admiratio fuerunt; Heroum sæculorum præteritorum, amicorum fortunæ, ut verbis utar mundi: extrema quædam ossa exesa, & in pulverem redacta, pugillus Cinerum, & nihil præterea. Quamvis illis potentiores, locupletiores, commodiores essetis, non aliam sortem estis habituri; & aliquando de vobis dicetur, quod dicitur hodie de victimis ambitionis humanæ; singuli vicissim sunt veritatis hujus sensibile argumentum. Pretium, & amor ipse virtutis alter effectus est Cæremoniæ Cinerum. Bone Deus! Mistica hæc Cinerum Cæremonia, quam apta est ad errorem nobis auferendum fucatorum quorumdam luminum, harum vulgarium opinionum, quæ fascinant, & seducunt! Sed quam efficax est ad aperiendum nobis solidum meritum, & pretium inæstimabile veræ virtutis! Sancti moriuntur, dicitur tunc, non secus ac peccatores: sed quod discrimen inter Cinetes, & Cineres? Alii quidem sunt horroris objecta, alia venerationis: tantum potestatis, & illecebrarum inest Sanctitati. Illi pedibus calcantur; coram istis in genua prosternimur. Terra sola, qua Sanctorum corpora teguntur, vim habet operandi miracula. Quid ex his omnibus concludendum est, nisi insignem esse dementiam, collocare felicitatem suam in hominibus, voluptatibus, & bonis hujus vitæ, & oportet illam de sanitate mentis dejectum fuisse, qui alteri cuipiam rei vacat, quam sanctitati adquirendæ. *Pater Croiset in Exercitationibus Ascetich.*

Dispositiones ad hanc Cæremoniæ afferendæ.

Quandoquidem Cinerum Cæremonia praxis est Religionis, a nobis facienda est cum omnibus dispositionibus, & cum eo spiritu, quem tanta, & adeo sancta flagitat Cæremonia. Inutiliter capiti Cinis imponitur, si superbia regnat in corde. Deus hanc horret Hypocrysim. Si anima contrita non est, & nihili sui idea penetrata, exterior hæc humiliatio, mera scurrilitas est. Cave, ne irreverentiam, & irreligionem inferas in religionis praxim; recipe Cinerem in fronte cum corde contrito, & humiliato audi hanc mortis sententiam cum perfecta submissione, simulque fac vitæ tuæ Sacrificium. Mortem excipe, qua Deus damnavit te, in criminum tuorum satisfactionem, & tamquam pœnam quam meritus es. In morte fieri non potest Sacrificium meritorium; hac ipsa die si feceris vitæ tuæ Sacrificium, recipiens Cinerem super caput, Sacrificium, quod feceris vitæ tuæ, esse potest Deo acceptissimum, ac meriti ingentis. Quapropter ne avertas oculos a morte, cujus Cinis est symbolum maxime naturale. Cogitatio hæc facile pœnitentiam persuader, omnemque lenit rigorem. Incipe Quadragesimam cum hoc spiritu pœnitentiæ. Hæc plurimis erit novissima: quæ tibi erit consolatio illam Christiano ritu observare, si pro re novissima futura est? Junge jejunium tuum cum illo Jesu Christi, ita illud magis meritorium efficies. Perniciosissima Dæmonis versutia est, facere, ut Sanctissimæ Religionis Cæremoniæ recipiantur tamquam res nullo in discrimine habendæ. Hanc cum spiritu Christiano concomitare; & quidquid feceris, di: tibimet; *Memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Idem.*

In veteri testamento, & in nova lege Cineres semper fuerunt symbolum pœnitentiæ.

Liquet ex sancta hac Cæremonia imponendi Cineres super caput, primum Quadragesimalis jejunii diem appellari. Non solum in hac nova lege, sed etiam in veteri testamento Cineres fuerunt symbolum pœnitentiæ; & sensibilis nota doloris, & afflictionis. Thamar testatura luctum, doloremque suum imponit Cinerem capiti suo: *quæ aspergens Cinerem capitis suo.* (2. *Reg.*) *Ipse me reprehende, & ago pœnitentiam in favilla, & Cinere*, (*Job* 42.) Job inquit. Israelitæ ad accessum Holofernis territi, & Sacerdotes iram Dei placare volentes, offerunt illi Sacrificia capite Cineribus adsperso: *Erat Cinis super capita eorum.* (*Judith.* 14.) Mardochæus perterritus nuntio mali nationi suæ impendentis *Indutus est sacco spargens Cinerem capiti.* (*Esther.* 4.) Populus universus egit similiter in Provinciis: *In omnibus quoque Provinciis sacco, & Cinere.* Seniores Filiæ Sion, dicit Jeremias in Lamentationibus suis, spiritu pœnitentiæ *Conspersserunt Cinere capita sua.* (*Jerem.* 2.) Daniel jejunio, & orationi Cinerem adjecit, ut placaret Dominum irritatum contra populum suum, *Deprecari in jejuniis, & Cinere.* (*Dan.* 9.) Rex Ninivitarum placaturus Dominum *surrexit de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in Cinere.* (*Jonæ.* 3.) Machabæi comitati sunt follemne jejunium cum Cæremonia Cinerum, quos *imposuerunt capiti suo.* (*Mach.* 3.) *Pater Croiset in Asceticis, Tomo* 1.

Cæremonia Cinerum in nova etiam lege instituta.

In nova etiam lege Cinerum Cæremonia, non secus ac in veteri usum obtinuit. Exprobrans Jesus Christus Civibus Corozaim, & Bethsaida duritiem, & indolicitatem eorum, inquit, miracula, quæ apud illos facta fuerunt, si Tyri, ac Sidone facta fuissent, Tyrios, Sidoniosque in sacco, & Cinere pœnitentiam facturos fuisse: *In cilicio, & Cinere pœnitentiam egissent.* Nihil hoc vulgatius fuit Pœnitentibus primis Ecclesiæ temporibus. Patres, & antiqua Concilia conjunxerant semper Cineres cum pœnitentia. Optatus Donatistis exprobabat quod Virgines Deo sacras potuissent in pœnitentia, ponentes Cineres super caput earum: *Consecratos Deo aspersisti immundis Cineribus crines.* (*Lib.* 6. *ad Virginem lapsam* 8.) Sanctus Ambrosius ait pœnitentem Cinere distinguendum esse; *Cinere aspersum, & operatum cilicio corpus perhorrescat*: Et Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus ait illos, qui pœnitentiam ingrediuntur, recipere Cineres super caput, ut fateantur, se pulverem, & Cinerem esse, & jure Deum contra ipsos mortis sententiam protulisse: *Adspergunturr, ut sint memores, quia Cinis, & pulvis sunt; per favillam Cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando pervenimus. Idem.*

Antiqua ratio celebrandi Cinerum Cæremoniam, & inter pœnitentium numeris insignes peccatores polo locandi.

Auctor quidam ex antiquis Conciliis descripsit rationem, qua insignes peccatores in pœnitentium numerum statuebantur, & Cæremoniam die Cinerum fieri solitam. Omnes pœnitentes, ait ille, sese ad ostium Ecclesiæ præsentabant, amicti sacco, nudatis pedibus, & cum signis omnibus contriti, & humiliati. Episcopus, vel aliquis ex ministris ejus imponebat illis congruam peccatis eorum pœnitentiam; mox vero recitatis Psalmis pœnitentialibus, manus imponebantur illis, aqua benedicta adspergebantur, & capita eorum Cineribus operiebantur. Hæc erat Cæremonia diei Cinerum, vel primorum dierum jejunii Quadragesimalis pro publicis peccatoribus, cujus enormia scelera scandalum peperierant. Verum cum omnes homines sint peccatores, Sanctus Augustinus ait, omnes esse debent pœnitentes, & hoc efficit, ut fideles, illi etiam qui erant innocentissimi hac die tribuerent signum hoc publicum pœnitenciæ, recipientes Cineres super caput. Nemo fidelium immunis fuit; Principes æque ac subditi; Sacerdotes, & ipsi etiam Episcopi, primorum temporum eorum populo dederunt hoc ædificans exemplum pœnitentiæ: Illud vero quod re adhuc integra peculiare fuit, pœnitentibus publicis, factum est tandem commune omnibus Ecclesiæ filiis; quippe omnibus persuasum esse debebat secundum Jesu Christi verbum, neminem esse, qui licet se innocentem existimet, non egeat pœnitentia. Ipsi etiam Pontifices summi, non secus ac ceteri subeunt hanc humiliantem Religionis cæremoniam, & hæc una adhibetur Vicario Jesu Christi reverentia, quod nihil dicitur, cum Papæ Cineres traduntur. *Pater Croiset in Asceticis. Tomo* 1.

Explicatio horum verbum. Memento homo, &c.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Hæc

Hæc sunt memorabilia verba, quæ dixit Deus primoparenti in ipso inobedientiæ suæ momento, & hæc illa sunt, quæ Ecclesia singillatim unicuique nostrum dicit per os Ministrorum suorum in hujus diei cæremonia. Verba sunt maledictionis in sensu, quo illa protulit Deus, inquit Christianorum Oratorum celeberrimus; Significant enim sententiam damnationis morti; sed verba suavia, & solatio plena pro peccatore pœnitente, S. Chrysostomus inquit, quia docent illum viam conversionis suæ per pœnitentiam. Accipe manu tua pugillum Cineris, dixit Deus Moysi, & Aaron. *Tollite manus plenas Cineris, & spargat illum coram Pharaone.* (*Exodi* 9.) Cinis iste hoc pacto dispersus, fuit tamquam materia, ex qua Deus effinxit hæc flagella, quæ universam Ægyptum afflixerunt, & quæ ibi adeo generalem vastitatem pepererunt. Effectus Cæremoniæ diei hujus longe diversum habet effectum in Christianismo; quippe novæ Legis Sacerdotes non effundunt hodie Cinerem super capita nostra, nisi ut leniant iracundiam Domini per hunc humiliationis actum; ut nobis gratias, & Dei beneficia promereantur, ut nos aptos reddant ad illius bonitatem experiendam, & ad excitandum in cordibus nostris sensum veræ pœnitentiæ; quo in spiritu, & in hac dispositione exercenda est hac die Cinerum Cæremonia. *Idem.*

Cineres in nostris animabus.

Terræ nomen, quo Deus hominem vocat propter originem ejus, debet in homine memoriam illius quod aliquando futurus est.

Quando homo non efformatus fuisset ex pulvere, ac terra, nomen, quod imponendi eidem occasionem arripuit Deus ex ejusdem origine, jure eidem imponi poterat propter sentiam, quam Creator suus in illum protulit propter peccatum: *Terra es, & in terram ibis, pulvis es, & in pulverem reverteris.* Etenim sicut animadvertunt Sanctus Chrysostomus, & Sanctus Augustinus, hic sermo est Spiritus Sancti in Scripturis ad eventuum certitudinem innuentiam, quos destinavit per immutabilem sapientiæ suæ sententiam, illos exprimere, quasi jam evenissent. Ita ut cum homo sit reversurus in pulverem, oblivisci non debeat id quod est, neque id quod futurus est; quoniam in dissolutione partium componentium corpus, redigendus sit in pulverem, ex quo concretus fuit. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Discrimen inter eamdem sententiam ex ore Dei profectam, & ab Ecclesia prolatam.

Hoc in argumento, Fideles, animadvertendum est, quamvis sententia, quam hodierna die profert Ecclesia per Ministros suos, semper sit eadem omnino, iisdem concepta verbis, & contra eosdem nocentes lata, ac illa Dei contra primum hominem, ejusque posteritatem irrogata; tamen cum sensu longe alio pronuntiatam esse. Ibi Judex est irritatus, qui noxios, & rebelles punit; hic pia Mater, quæ ex eodem malo studet haurire medicinam. Ibi Supremus est Dominus, qui terribili voce irrevocabilem profert sententiam; hic mediatrix est, quæ pro nostra reconciliatione intercedit, & modum nanciscitur inferendi mortem peccato, quod nobis hanc mortis sententiam promeruit. Ibi fuit sententia damnationis summa cum potestate inflicta, & cujus effectum quotidie intuemur; modo vero nobis proponit Ecclesia tamquam caussam solatii; quandoquidem illam nobis significat, ut spem faciat mulcendi iracundiam Dei, & per mortis cogitationem impellendi nos ad sinceram pœnitentiam, quæ sola via est ad evitandam mortem æternam, quam propria peccata nostra illi superaddita, quod a primo parente per hereditatem affecuti sumus, nimis crebro nobis promeruerunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quænâ esse debeat vera pœnitentia, quæ nobis per cineres repræsentatur.

Vera pœnitentia, cujus symbolum Cineres sunt, & ad quam nos invitat Ecclesia, Cineres capiti nostro imponens, illa non est, quæ adeo parcit corpori in pulverem redigendo, sed illa quæ omnis voluptatis, & mollitiei inimica, illud in antecessum adjudicat cuidam mortis generi per severam mortificationem. Scio, Fideles, naturam adversari; cumque corpus nostrum constituat partem nostrummet ipsorum, parcimus illi, in quod severius animadvertendum est; similes hac in re misero Saul, qui delere jussus Amalecitas, nihilque sibi de eorum manubiis reservare, eorum Regi pepercit, qui nocentissimus erat, & a quo initium ducendum erat ad Dei jussa capessenda. Ex quo factum est, ut quin divinam placaret Justitiam, illam magis magisque in caput suum irritaverit. *Idem.*

Eiusdem argumenti continuatio.

Ecce quid inutiles efficit plerasque pœnitentias nostras; aliquid profecto bonorum nostrorum sacrificamus, alicui abrenuntiamus negotio, quod nobis est modico in discrimine; sed parcimus huic corpori peccati, & illi parcimus, quod a Filio Dei jubemur odio irreconciliabili persequi; sed fallimur; si credimus odisse peccatum, cum præcipuam illius caussam amamus, cum parcimus loco, ubi regnat, & cum fovemus illud perquisitione commodorum nostrorum. Hic error, vel potius cæcitas est, in qua vivunt hodie Christiani, qui id unum cogitant, quo pacto tempus traducant in deliciis, & voluptatibus; sed ut errorem hunc abjiciamus, cogitemus mortem, quam hi Cineres oculis nostris objiciunt; criminosæ huic mollitiei abrenuntiabimus; perhorrescemus corpus, in Cineres redigendum, & fortasse inde egressum, ut in ignem conjiciatur. Si anima, quæ illius mancipium facta est, domina ejusdem fieret, illud subjiciens rigoribus pœnitentiæ; his submissum æterna fruetur felicitate, quam illi procurabit anima, & quam ipsa quoque per illud sibi comparabit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quid Spiritus Sanctus operari velit per hos ritus Sanctus per hoc Mysterium facere contendit. Eruere vult animam nostram de servitute peccati, & dæmonis captivitate, & ex ea facere Sponsam Jesu Christi, qua re nihil excelsius, nihil admirabilius. Ecclesia hoc divino Spiritu afflata, Cinerem capiti nostro imponens, trja nos docet per Cinerem repræsentata. Primum, quamvis fortes, & robusti sumus, tamen nos Cinerem, & pulverem esse: alterum hoc nos impellere debere ad pœnitentiam agendam: tertium denique nisi conversi fuerimus, non solum nos in pulverem esse reversuros, ex quo fuimus educti, verum etiam perituros in peccato, quo ad æternam mortem adducemur. Hi sunt exitus funesti, qui accidunt illis, qui negligunt, ac differunt in gratiæ statum reverti. *Idem.*

Quid considerari, nobis velit Ecclesia imponens Cinerem capiti.

Perfecte Ecclesiæ mentem assequerer, si vobis ostendere possem, primum sententiæ hujus recordationem, quam in nobis ciet mortis cogitatio, id esse præsentissimum quod nos impellere potest ad veram pœnitentiam aggrediendam: hoc ego primum considero in hac irrevocabili sententia: Secundo Cinis, & pulvis, in quem nos redigit mors propter hanc sententiam, est tamquam exemplar pœnitentiæ, quam facere tenemur. Duæ veritates, & duæ considerationes maximi momenti, quarum altera nos docet pœnitentiæ necessitatem per necessitatem mortis; altera vero nos erudit, quomodo hæc pœnitentia nobis sit peragenda; qui desumitur ex statu, & annihilatione, ad quam aliquando redigendi sumus; altera docet quomodo inevitabilem necessitatem in eximiam virtutem convertere debeamus; altera vero nos perducens ad pœnam qua damnati sumus, convertet sententiam hanc contra homines latam, in sententiam gratiæ, & beneficii pro nobis. Duplici verbo, moriendum est; igitur consilium sumendum est agendi pœnitentiam; hæc prima est conclusio ex sententia hac elicienda. Mors nos in Cinerem redigit; igitur pœnitentia quodammodo in antecessum nos redigere debet in Cineres, efficiens, ut moriamur nobismet ipsis, omnibusque rebus hujus Mundi. *Idem.*

Ex mortis necessitate inferēda est pœnitentiæ necessitas.

Nulla unquam æquior conclusio fuit, nulla unquam magis Christiana animadversio, nulla veritas recto sensui conformior, quam ex inevitabili mortis necessitate inferre celerem, sinceramque pœnitentiæ necessitatem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Itaque, ut ad eam nos impelleret propter validissimam caussam sententiæ quam protulit Deus ab ipso sæculorum primordio, Ecclesia hæc addidit verba: *Memento homo.* Memento, & altius imprime in spiritu tuo, & nunquam oblivisce. Sicuti enim hæc dirigit verba Christianis, qui norunt terribiles mortis effectus, & sciunt, hoc fatale momentum de sorte ipsorum in æternitatem decidere, opus non erat, ut plura adderentur. Mortis imago, quam illis proponit, objicit oculis eorum omnes magnas hasce Veritates, eisque probat negotii momentum. Ceterum magnis opus non est ratiociniis, ut hominibus persuadeamus illos subjectos esse sententiæ a Deo contra ipsos prolatæ; satis enim est, ut illos homines appellans, admoneat, ipsos in semet gestare mortis principium, ac eos id futuros esse, quod fuerunt, Cinerem videlicet ac pulverem; cum enim, & rationabiles sint, & Christiani simul, fidei, & rationis luminibus illustrati, sufficit illis palam facere periculum, in quo versatur peccator moriendi, antequam in hac vita egerit pœnitentiam. *Idem.*

Hæc est sententia, quā Deus olim protulit contra primum hominem, & quā nobis indicit Ecclesia in Cinerum Cæremonia.

Hæc olim fuit mortis sententia per Dei ipsius os prolata contra primum hominem, fere statim ac vitam recepit; & ecce Christiani, hæc eadem sententia instaurata est contra omnes homines ab Ecclesia, quam animat Deus Spiritu suo, & quam sequestrem constituit oraculorum suorum. Nam perinde ac omnium sæculorum experientia, & exemplum omnium mortalium, qui præcesserunt, non satis nos persuasisset de hac veritate, moriendum esse, vel voluptatum sensibilium illecebræ non omnem mortis cogitationem abstulissent; Ecclesia hæc, quæ in actionibus suis non caret Mysteriis, operæ pretium duxit quotannis memoriam recolere in hac Cinerum Cæremonia, ac dicere omnibus filiis suis, ipsos originem duxisse ex pulvere, & quidquid conati fuerint, & quæcumque fuerint nativitatis, vel fortunæ ipsorum privilegia, illos aliquando in Cineres redactum iri, & fastum hunc, quo ambiuntur, cum illis iri tumulatum in Sepulcro, futurum trophæum mortis, & exemplum vanitatis rerum harum mundanarum. Ita ut Christiani dicere possint de Cineribus, quibus hodie utitur Ecclesia id, quod Apostolus inquit de Cineribus primi mortuorum omnium, qui fuit innocens Abel: *Defunctus adhuc loquitur*; quamvis ille obierit, Cineres ejus adhuc loqui, & nos adhuc docere. Sed quid illi dicunt? Admirabile nobis præbent documentum, si illud audire voluerimus. Quæ validior persuasio esse potest vanitatum Mundi hujus? quem contemptum cient in nobis bonorum, & voluptatum illius? Quam præcautionem ad bene moriendum? Etenim nonne hoc aliquando tandem omnibus hominibus faciendum est? & hinc nonne pendet æternitas beata, vel misera, quæ nos manet? Præsertim vero cum Cinis semper extiterit in veteri, novaque lege symbolum pœnitentiæ: Ecclesiæ consilium fuit nobis persuadendi celerem, sinceramque pœnitentiam ad adspectum ejus rei, quæ omnium facillime potest nobis proponere mortis imaginem; quam nihil oculis nostris obsicere potest, nisi pulvis, & Cinis, ex quo originem duximus, & in quem certissime